

sicut in judicialibus; unde ut in his cautius agatur, ob majus periculum merito jura requirunt majorem ætatem in procuratore ad judicia, quam ad negotia; ut inquit Vivianus in cit. c. *Qui generaliter*. § *Licet*. post Geminianum cap. 1. § *Procurator*. eod. in 6; tum quia minor viginti quinque annis gaudet beneficio restitutionis in integrum: unde ne hac occasione elusorium reddatur judicium, si forte minorennis ille procurator (utpote qui litem fecit suam post hujus contestationem) in causa succumberet, ac postea peteret restitui in integrum, recte non censetur esse idoneus procurator ad lites.

16. *Procurator generalis, et specialis, quis? Simpliciter ad lites constitutus, censetur generalis.* — Resp. II. Procurator ulterius dividitur in generalem, et specialem. «Generalis» est, cui universorum honorum, sive negotiorum administratio commissa est, l. *Procurator totorum* ff. h. t. et c. *Dilectus*. 11. juncta Glossa §. *Generalis*. h. t. Vel, loquendo de procuratore generali ad lites, qui ad omnes lites tum præsentis, tum futuras, sui principalis prosequendas constitutus est. Ubi sciendum cum Abbate c. *Non injuste*. n. 2. h. t. et speculatore tit. *de Procuratore*. § *Ratione autem formæ*. n. 9. quod procurator simpliciter constitutus ad lites, non exprimendo præsentis vel futuras, videatur constitui ad omnes, tam ad præsentis, quam futuras: quia non est major ratio de his, ac de illis: simulque locutio indefinita æquipollet universali. «Procurator specialis» econtra dicitur, qui ad certum dumtaxat negotium, aut litem expediendam datus est, l. I. § *Procurator*. ff. h. t.

17. *Procurator generalis, adjecta clausula Cum libera; et generalis simpliciter, quis?* — Rursus procurator generalis subdividitur in eum, qui taliter constituitur adjecta clausula «cum libera»: hoc est, cum plena et libera potestate administrandi omnia, quæ domini sunt, ut l. *Procurator cui*. 58. ff. h. t.; et in eum, qui constituitur procurator generalis simpliciter, et sine tali clausula: ut fit in cit. l. *Procurator totorum*. ff. eod.

18. *Et quæ potestas utriusque? Procurator cum libera, et filiusfamilias habens liberam peculii administrationem, an possit donare?* — Est autem notabilis differentia inter utrumque. Nam procurator generalis «cum libera,» seu cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest omnia facere, quæ dominus ipsemet facere potest; ac proinde po-

terit exigere, solvere debita creditoribus, aliud pro alio permutare, novare, et alienare. Textus est in cit. l. *Procurator cui*, et l. seq. ff. h. t. et amplius declarant Glossa et Bartolus ibidem: merito tamen hinc excipientes donationem, arg. l. *Filiusfamilias*, ff. *de Donationib.* Ubi in simili dicitur, quod filiusfamilias donare non possit, etiamsi liberam peculii administrationem habeat, nisi ex justa causa, vel patris permissione id fiat. «Non enim (inquit textus) ad hoc ei conceditur libera peculii administratio, ut perdat.» Idem ergo dicendum in proposito de procuratore dato cum libera.

19. *Et quæ potestas utriusque? Procurator cum libera, et filiusfamilias habens liberam peculii administrationem, an possit donare?* — At vero procurator generalis simpliciter, et sine «libera» constitutus, nec potest transigere, l. *Mandato* 60. ff. h. t., nec pignus remittere, nisi hoc ei specialiter mandatum fuerit, l. *Si consensit*. § *Mandatum*. ff. *Quibus modis pignus, vel hypothec. solut.* Nec etiam res domini mobiles, aut immobiles, absque speciali mandato alienare potest; nisi fructus, et alias res, quæ facile corrumpi possunt, d. l. *Procurator totorum*. ff. h. t.

20. *Procurator in rem alienam, et procurator in rem suam, quis?* — Resp. III. Insuper procurator datur vel in rem alienam, vel in rem suam. «Procurator datus in rem alienam» est ille, qui aliena negotia de mandato domini administrat in ejus utilitatem: et talis est proprie dictus procurator, de quo potissimum impræsentiarum agitur. «Procurator in rem suam» dicitur, qui alienum negotium de mandato domini gerit, sed in propriam suam utilitatem, sive commodum. Ut si pater filio, vel dominus extraneo cedat actiones sibi competentes contra suos debitores, et eum constituat procuratorem in rem suam ad exercendas actiones directas: tunc enim actiones directæ semper remanent penes cedentem, sive penes patrem aut dominum, cum ejus ossibus cohæreant affixæ. Actiones vero utiles transeunt in cessionarium, id est, in illum, cui facta est cessio actionum, qui proin actiones directas intentat procuratorio nomine, seu nomine alieno: sed quia hoc ipsum fit in suam propriam utilitatem sive commodum, eo quod actiones utiles sibi jam fuerint acquisitæ per cessionem, hinc ipse dicitur «procurator in rem suam.» Glossa magna in cap. 1. h. t. in 6.

21. *Iste solum improprie dicitur procurator.*

— Et de tali procuratore in rem suam, fit sermo in cit. cap. 1, § *Licet*, h. t. in 6. et l. *Servum*, 33 §, fin. et l. *Si quis in rem*, 34, et l. *Procuratore in rem*, 55, ff. h. t. cum similibus. Verumtamen ille non adeo proprie, ut prior, dicitur *procurator*; cum potius propria, quam aliena tractet negotia, ob utilitatem inde sibi obvenientem: imo Glossa in l. I. §. *Aliena*, ff. eod. inquit, quod «Procurator in rem suam» solum dicatur improprie, non minus ac si dicatur homo mortuus.

22. *Procurator verus, et falsus quis?* — Resp. IV. Ulterius procurator dividitur in verum, et falsum. Ille est, qui legitimo mandato procuratorio munitus est. Falsus procurator econtra censetur, qui vel nullum mandatum habet, vel habet, sed insufficientem (ut si habeat mandatum generale, ubi requiritur speciale) vel ad causam pendentem impertinens, aut jam revocatum. Glossa in cap. *Ex parte decani*, §. *Procurator, de Rescript.* et Glossa l. *Si procuratori falso*, ff. *Conditione causæ data*.

23. *Procuratores simpliciter constituti qui?* — Resp. V. Quando plures super eadem causa, prout licitum est, constituuntur procuratores, tunc ipsi vel constituuntur simpliciter, vel in solidum. Patet hoc ex c. *Si duo*, h. t. in 6. et l. *Pluribus*, ff. eod. Porro quando plures procuratores simul constituuntur non adjecto ly «in solidum,» tunc censentur esse «procuratores simpliciter constituti:» adeo, quod unus sine alio non debeat admitti, nec negotium sive causam ejusmodi solus valeat expedire; sed necesse sit, ut simul intersint, et quisque eorum pro sua parte concurrat; ut cit. c. *Si duo*, h. t. in 6, et c. *Causam matrimonii*, 16 *de Offic. delegat.* et l. *Duo ex tribus* ff. *de Re judicat.* Nam forma mandati exacte est observanda, c. *Cum dilecta*, 22, *de Rescript.*

24. *Procuratores in solidum constituti, qui?* — «Procuratores in solidum constituti,» dicuntur illi, qui dantur adjecta hac clausula «in solidum,» hoc est, in totum. Et tunc quilibet eorum se solo potest negotium expedire: ita tamen, ut melior sit conditio ejus, qui primo per lites contestationem negotium occupavit, et ipse solus postmodum admittatur, altero penitus excluso. Intellige, nisi in constitutione talium procuratorum adjectum fuerit, quod non sit melior conditio occupantis: tunc enim, si prior præ infirmitate, morte, vel alio impedimento, aut quia forsitan non vult, negotium non prosequatur,

nec alium substituat; potest alter suscipere, ac perficere negotium a priore inchoatum. Textus, Glossa, et doctores in cit. c. *Si duo*, § 1.

§ III.

DE HIS, QUI CONSTITUERE, VEL CONSTITUI POSSUNT PROCURATORES.

25. *Quilibet potest constituere procuratorem, qui non reperitur prohibitus.* — Quæritur I. Quis possit, vel non possit constituere procuratorem? Resp. 1. Generatim loquendo, quilibet potest procuratorem constituere, qui non reperitur prohibitus. Ita communis; et habetur l. *Mutus*, 43, § 1, ff. h. t. Ubi hujus ratio redditur: quia istud edictum est prohibitorium: unde eo ipso, quod quis specialiter non reperitur prohibitus constituere procuratorem, censetur hoc facere posse; prout jam supra tit. præc. § 1, numer. 8, dictum fuit.

26. *Idque exemplificatur.* — Hinc procuratorem constituere potest dominus cæteroquin habilis, sive sit præsens, sive absens, seu per nuntium aut epistolam, l. I. h. t. nulla enim certa verborum solemnitas hic desideratur. Quin etiam mutus, ac surdus, eo modo quo fieri potest, ut puta nutu, aut scribendo, procuratorem dare non prohibetur, cit. l. *Mutus*, § 1, ff. h. t. Insuper, quod universitas scholarium possit ad agendum et defendendum, procuratorem constituere, habetur decisum in c. *Quia in causis*, 7, h. t. et amplius declarat Glossa ibid. §. *De jure communi*.

27. *Procuratorem ad lites nequit constituere pupillus, vel minor sine tutoris seu curatoris auctoritate.* — Resp. II. Econtra procuratorem ad lites nequit constituere pupillus, vel minor habens curatorem, nisi adsit tutoris seu curatoris auctoritas, l. *Neque tutores*, 2, c. h. t. Et merito, quia, cum ipsi personam legitimam standi in judicio non habeant, alium ad hoc reddere legitimum nequeunt. Vallensis h. t. § 3, n. 3.

28. *Quid, si secus fiat?* — Quod si tamen a minore datus fuerit procurator, et iste pro minore illo obtinerit sententiam, hæc valet: secus, si contra ipsum lata sit sententia, l. *Non eo minus*, C. h. t. Ubi ratio diversitatis redditur illis verbis: «Minoribus enim ætas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit.»

29. *Filiusfamilias, captus ab hostibus, vel*

bannitus an constituat procuratorem? — Resp. III. Filiusfamilias non aliter constituit procuratorem, nisi quatenus ipse experiri potest, l. *Filiusfamilias*, 8, ff. h. t. Zoesius num. 8, ff. eod. et alii. Item capti ab hostibus nequeunt dare, vel habere procuratorem: quia, quamdiu sunt in potestate hostium, sui juris non sunt, nec rerum suarum domini, l. *Ab hostibus*, ff. *Ex quibus causis majores*, etc. Bannitus quoque, cum amissis suis bonis censeatur mortuus civiliter, nequit dare procuratorem, Vallensis cit. § 3, n. 4, h. t. Tacentur alii consimiles.

30. *Excommunicati non possunt constituere procuratorem ad agendum.* — Resp. IV. Insuper excommunicati excommunicatione majori non possunt constituere procuratorem ad agendum, arg. cap. ult. h. t. ac notat Abbas ibid. n. 4, cum communi. Quia enim excommunicatus ab actione repellitur, ne quis cogatur cum eo communicare in animæ suæ detrimentum, c. *Exceptionem*, 12, de *Exception.*; consequenter nec procuratorem constituere potest ad actum hujusmodi, quem ipse per se facere non potest. Nam, « cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti, » ut habet reg. 84 juris in 6, cum concordantiis.

31. *Bene tamen ad defendendum.* — Dicitur in conclusione, « ad agendum. » Nam ad defendendum, seu quando ab alio convenitur, bene potest (imo et debet) excommunicatus procuratorem loco sui constituere: ne alioquin, si conveniri non posset, nec respondere teneretur, ex sua malitia commodum reportaret. Textus est in c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*.

32. *An si conveniantur ab alio, teneantur invitari procuratorem constituere?* — Additur notanter, « imo et debet. » Licet enim non careat difficultate, imo multum de hoc disputet Abbas in cit. c. *Intelleximus*, n. 5 et seqq. an in tali casu teneatur excommunicatus, etiam invitatus procuratorem constituere, contra c. *Querelam*, 2, h. t. vel an possit per se respondere, ut vult Glossa ibidem; dictæque Glossæ opinionem ipsemet Abbas pluribus firmet rationibus, eamque se semper tenuisse asserat: nihilominus tandem n. 6, appellat « veram opinionem, » quod is compellatur procuratorem constituere, cum textus ibidem dicat de tali excommunicato: « Et debet per alium in judicio respondere. » Nam ly « debet, » ex proprio significato importat necessitatem; sicque non solum debitum honestatis, ut alii volunt.

33. *Procurator judicialis post litem contestatam potest alium substituere.* — Quæritur II. Utrum procurator possit constituere, seu substituere alium procuratorem? Resp. I. Procurator judicialis, seu ad judicia datus, post litem contestatam (quia tunc dominus litis jam est effectus) potest alium procuratorem substituere. Ita communis; et habetur expressum in cap. 1, § *Licet*, h. t. in 6, et l. *Nulla*, C. eod. et alibi.

34. *Nisi sit prohibitus.* — Quod tamen intellige cum Glossa in cit. § *Licet*, §. *Procurator*, quando quis est simpliciter procurator constitutus, vel non expresse prohibitus: secus, si fuerit constitutus dumtaxat usque ad litem contestatam, et expresse prohibitus, ne ultra procedat; quia tunc debet dominus vel per se, vel per alium litem cœptam finire.

35. *Aut specialis negotii qualitas non videatur id permittere.* — Atque hoc ipsum procedit, quando specialis negotii qualitas non videtur permittere, ut substituatur alius procurator absque speciali commissione: ut fit in causa matrimonii contrahendi; ubi procurator absque speciali mandato alium substituere non potest, propter magnum, quod ex facto tam arduo posset imminere periculum, cap. ult. h. t. in 6. Idque ob paritatem rationis, et naturalem æquitatem, pariter locum habet in aliis negotiis magni momenti, seu ubi de gravi præjudicio agitur: quia tunc in dato procuratore censetur electa industria personæ, arg. c. *Si pro debilitate*, 3, in fin. de *Offic. delegat.* sicque substitutioni locus non erit. Menochius de *Præsumpt.* l. II, præf. 38, n. 3; Engel h. t. n. 10; Layman, lib. III *Theolog. moral.* tract. IV, cap. xxvi, n. 7.

36. *Non vero ante litem contestatam.* — Dicitur notanter in conclusione, « post litem contestatam. » Quia tunc procurator fit dominus litis, ut declarabitur § 5, n. 409. Verum ante litis contestationem nequit procurator ejusmodi alium substituere, nisi sit datus in rem suam; vel nisi a domino acceperit potestatem, seu mandatum de substituendo alio, juxta textum, Glossam, et doctores in cit. cap. 1, § *Licet*, 6, h. t. in 6.

37. *Quando procurator fiat dominus litis in causis, ubi summarie ac de plano proceditur?* — Porro in causis illis, in quibus proceditur summarie et de plano, sicque non requiritur contestatio litis, procurator censetur esse factus dominus litis, quamprimum tractari cœptum est de meritis causæ, ac negotium principale discutitur. Barbosa in cit. cap. 1,

§ *Licet*, n. 7, h. t. in 6, citans alios: atque indubitanter esse verum, censet Bartolus in l. *Ab executore*, § *Procurator*, n. 2, ff. de *Appellationib.* id probans ex L. 2, C. de *Consortibus ejusd. litis*, ubi textus inquit: « Post causam in judicio agitatam. » Et hactenus dicta procedunt de procuratore judiciali, seu ad lites: tunc loquendo de procuratore extrajudiciali, seu ad negotia deputato.

38. *Procurator extrajudicialis potest alium libere deputare.* — Resp. II. Procurator extrajudicialis, seu datus ad negotia, potest alium libere, et quodcumque voluerit, deputare. Ita habetur expressum in cap. 1, § *Procurator*, h. t. in 6. Et ratio disparitatis inter procuratorem ad lites, qui non ita libere potest alium substituere, et inter procuratorem ad negotia, hæc est: quia in negotiis regulariter non agitur de tam gravi præjudicio, sicut in judicialibus. Vivianus in *Rationali juris*, in cit. § *Procurator*, post Geminianum ibid. id confirmans ex c. *Qui generaliter*, § fin. eod. in 6, ubi major septemdecim annis admittitur procurator ad negotia, non vero ad lites, nisi compleverit vigesimum quintum ætatis annum.

39. *Limitatur tamen hoc in certis casibus.* — Verum et istud, quod procurator ad negotia possit alium libere substituere, patitur suas limitationes. Et quidem imprimis fallit illud in procuratore ad contrahendum matrimonium destinato: hic enim non potest alium substituere, nisi ad hoc habeat speciale mandatum, cap. ult. h. t. in 6, estque paulo superius num. 35, addita quadam extensione, jam dictum.

40. *Limitatur tamen hoc in certis casibus.* — Deinde procurator generalis ad negotia, etsi possit unum, vel alterum particulare negotium alteri delegare, non tamen potest alium procuratorem cum simili potestate generali constituere. Layman ad cit. cap. 1, §. *Procuratori*, h. t. in 6, estque in simili dictum supra tit. *De Offic. et potest. judic. delegat.* § 3, num. 56.

41. *Limitatur tamen hoc in certis casibus.* — Tandem procurator specialis potest quidem regulariter negotium sibi commissum alteri demandare: id tamen fallit, quando personæ industria electa esse censetur, arg. c. *Is cui ab apostolica*, 12, de *Offic. delegat.* in 6; Layman in cap. 1, §. *Procurator*, h. t. in 6. Addit Barbosa in *Collectan.* ad d. § *Procurator*, quod procurator constitutus ad vendendum rem aliquam, non possit substituere

alium, nisi in mandato explicetur pretium et forma venditionis.

42. *Procuratores ad negotia qui possint constitui?* — Quæritur III. Quis possit, vel non possit constitui procurator? Resp. I. Procuratores ad negotia generaliter possunt constitui omnes illi, qui sunt habiles et idonei ad negotium ejusmodi peragendum. Engel h. t. n. 6.

43. *Procurator ad lites potest constitui, qui non reperitur expresse prohibitus.* — Resp. II. Loquendo de procuratoribus ad lites, « regulariter qui non prohibetur expresse, ad exercendum procuratoris officium idoneus debet reputari, » sicque potest procurator constitui. Textus est in cap. 1, § 1, h. t. in 6. Nam, ut ibidem notat Glossa magna, edictum de procuratoribus est prohibitorium, l. *Mutus*, § 1, ff. h. t. Ex quo inferitur, quod quilibet possit esse procurator, qui non reperitur expresse prohibitus. Unde, ut alii minoris difficultatis taceantur,

44. *Etiam filiusfamilias invito patre.* — Inferitur primo, quod non tantum pater, sed etiam filiusfamilias (si cæteroquin habilis sit) ipso quoque patre invito procurator esse, et constitui possit, nedum ad negotia, verum etiam ad judicia, et tam ad agendum, quam ad defendendum. Nullo enim jure hoc ipsi prohibitum est: quin potius concessum, ut l. *Filiusfamilias*, § *Ipsæ quoque*, juncta Glossa marginali, ff. h. t. et c. *Qui generaliter*, § *Nedum*, h. t. in 6. (ADNOTATIO XVIII.)

45. *Et laicus in causis etiam spiritualibus.* — Inferitur ulterius, quod laicus, etiam in causis spiritualibus, possit esse, et admitti procurator ad agendum, et defendendum; prout decisum habetur in cit. cap. 1, h. t. in 6, eo quod istud non reperitur per canones laicis prohibitum. Unde Glossa marginalis ibid. post Glossam in Clem. 1, §. *Procuratorem*, de *Renuntiat.* Ancharanum, et alios, infert, quod laicus possit a clerico constitui procurator ad resignandum beneficium ecclesiasticum; et vicissim, quod habens gratiam acceptandi, possit acceptare beneficium per laicum: quia in talibus juribus, quæ non cadunt in laicum, ipse est nudus minister; jura vero illa spiritualia immediate, ac sine concessionem aliqua, transeunt in constituentem, arg. l. *Possessio quoque*, ff. de *Acquirend. possess.* et notat Bartolus ibid.

46. *Solvitur instantia.* — Nec obstat c. *Decernimus*, 2, de *Judiciis*, et c. *Massana*, 56, de *Election.* cum similibus, ubi generaliter pro

libetur, ne laici ecclesiastica tractare negotia præsumant. Resp. enim cum Hostiensi in *Summa*, h. t. n. 9, et Viviano in *Rationali juris canon.* cap. 1, h. t. in 6, in prædictis canonibus solum prohiberi, quod laicus non possit tractare ecclesiastica negotia tanquam principalis, seu ut iudex, vel assessor, aut præcipiens: non autem, quin in eis intervenire possit ut procurator, cum sic nomine alterius nudum exhibeat ministerium.

47. *Plures sunt personæ quæ per canones, vel leges prohibentur constitui procuratores.* — Resp. III. Plures tamen sunt personæ, quæ tum per sacros canones, tum per leges civiles, prohibentur constitui procuratores ad lites. Ita communis, et patet inductione. Sic quippe imprimis de jure canonico nequit agere procuratorem excommunicatus utpote qui non solum nequit agere, procuratorem loco sui ad agendum constituere; sed etiam non nisi per alium in iudicio respondere potest, c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*, cum concordantiis, estque dictum paulo superius n. 30 et 32.

48. *Ut religiosi sine licentia prælati.* — Deinde religiosus non potest esse procurator sine licentia sui prælati, etiamsi per alium religiosum sui vel alterius monasterii fuerit constitutus, nisi pro suo in eadem lite consorte. Textus est in *Clem. Religiosus*, h. t. Huc addi possunt, quæ de clericis, atque religiosis, jam tit. præced. § 1, n. 15, et 24 et seqq. dicta fuerunt: nam servata proportione etiam in proposito locum habent.

49. *Et infames, saltem secundum canones.* — Tertio, secundum canones infamis nequit esse procurator; ut can. *Infames*, 3, q. 7, juncta Glossa ibid. §. *Nec procurator*. Atque hoc, loquendo de causis, seu negotiis ecclesiasticis, et clericorum propriis, procedit non solum de procuratore ad judicia; uti desumitur et can. *Quia episcopus*, 3, q. 3, ubi advocatus, seu (ut explicat Glossa) procurator ipsorum, jubetur esse non malæ famæ suspectus, sed bonæ opinionis, et laudabilis artis. Verum id pariter procedit de procuratore ad negotia, arg. can. *Indicatum*, dist. 89, ubi dicitur, quod res ecclesiasticæ non nisi clericis probatis, sicque bonæ famæ, sint committendæ ad administrandum. Concordat c. *Imperatorum, de Jurament. calum.* juncta Glossa fin. et Abbate ibid. n. 9, ubi ex professo hanc questionem examinat.

50. *Et infames, saltem secundum canones.* — Additur notanter, « secundum canones. »

Nam spectato jure civili, infames non pronuntiantur esse procuratores, § fin. *Instit. de Exceptionib.* eo quod procuratoris officium non sit dignitas, a qua repelluntur infames, sed onus, et quidem vile. Verum secundum canones secus dicendum, ubi tum propter decorem Ecclesiæ, tum ne bona ecclesiastica dilapidentur, infames prohibentur esse procuratores rerum ecclesiasticarum, juxta proxime dicta.

51. *Impuberes, ac minores septemdecim annis.* — Quarto, impuberes ab omnibus officiis civilibus debent abstinere, sicque officio procuratoris fungi nequeunt, l. *Fœminæ*, ff. de *Reg. jur.* Huc addi possunt minores septemdecim annis, qui nullo modo possunt esse procuratores ne quidem ad negotia: ac minores viginti quinque annis, qui nequeunt esse procuratores ad judicia, c. *Qui generaliter*, § fin. h. t. in 6, estque jam dictum supra § præced. n. 15.

52. *Fœminæ, exceptis certis casibus.* — Quinto, fœminæ excluduntur ab officio procuratoris, utpote quod est virile, atque ultra sexum muliebrem. l. *Alienam*, C. h. t. et cit. l. *Fœminæ*, ff. de *Reg. jur.* Nisi agant pro parentibus, quando isti aliunde non defenduntur, et præ morbo vel ætate, se ipsos defendere non possunt: tunc enim fœminæ pro ipsis in iudicio agere, eorumque procuratores, seu procuratrices esse valent, l. *Fœminis*, 41, ff. h. t. Non item pro filio pupillo, ut notat Glossa ibid. §. *Habeant*, id probans ex l. *Alienam*, C. h. t. ubi summarium inquit, quod mater non potest defendere filium pupillum, sed debet et tutorem petere. Intelligit nisi ipsa sit constituta tutrix filiorum suorum, *Ex parte*, 67, de *Appellat.* Tunc enim, ex quo ei concessa est administratio honorum filii pupilli, etiam pro horum defensione in iudicio stare, et procuratoris munere fungi poterit. Joan. Andr. in cap. II, de *Jurejurand.* in 6; Pirhing, h. t. n. 24.

53. *Milites.* — Sexto, milites non possunt in alienis negotiis esse procuratores, l. *Neque fœmina*, 54, ff. h. t. Idque merito: ne hac occasione milites abstrahantur a castris, et omisso armorum usu ad opus rurestre se conferant, l. *Milites nostros*, 31, C. de *Locato*. Unde cum ipsi armis, non privatis negotiis occupare debeant; nec pro conjunctis personis, ut puta patre, matre, vel uxore, procuratoris vices agere possunt, l. *Militem*, 7, C. h. t. Possunt tamen milites esse procuratores in rem suam, vel in propriis negotiis,

1. *Qui stipendia*, 9, c. eod. Sicut et in negotiis suæ cohortis, l. *Filiusfamilias*, § *Veterani*, ff. h. t.

54. *Absentes reipublicæ causa, inviti.* — Rursus, qui reipublicæ causa abfuturi sunt, procuratores esse nequeunt, c. l. *Neque fœmina*, ff. h. t. Ubi hoc ipsum asseritur de iis, qui perpetuo morbo detinentur, aut qui magistratum initari sunt, aut qui sunt inviti: quorum ultimum, loquens de invitis, pariter habetur in c. *Querelam*, 2, h. t.

55. *Potentiores, alienarum litium redemptores, personæ illustres.* — Ulterius potentiores prohibentur esse procuratores ad lites, L. I, C. *Ne liceat potentioribus*, etc. Idem dicendum de redemptoribus alienarum litium, arg. l. *Litem*, 15, C. h. t. ac notat Engel h. t. n. 6. Accusati quoque de crimine nequeunt esse procuratores alterius, donec probaverint suam innocentiam l. *Reum*, 6 C. h. t. Ut taceantur personæ illustres, utpote quæ per se agere non possunt, sed solum per procuratorem, etiam in propriis negotiis, l. *Quicumque*, juncta Authen. seq. C. h. t. Item prodigi, quibus honorum administratio a iudice fuit interdicta, et nonnulli alii.

56. *Procurator debet constitui certus; alias non valet talis constitutio.* — Quæritur IV. An procurator non nisi certus constitui possit? Resp. I. Procurator debet constitui certus, ita quod alias non valeat talis constitutio. Ita Glossa magna in cap. I, h. t. in 6, circa fin. card. Tuschus lit. M. concl. 53, inde post Petr. de Ancharano, consil. 22, n. 7, concludens quod si quis constituit procuratorem Sejum, et ipsus Seji hæredes, mandatum non valet quod hæredes, quia incerti sunt: item, quod non valet mandatum, per quod omnes talis loci, vel curiæ, constituuntur procuratores, propter incertitudinem; ut voluit Bœrius, decis. 274, n. 3; Cardinalis de Luca in *Annot. ad S. concilium Trident.* discours. 26, n. 31, dicens: « Mandatum certæ personæ pro matrimonio contrahendo directum esse debet, neque aliter sufficit: » et alii.

57. *Idque varie probatur.* — Desumitur hoc ex l. II, ff. h. t. ubi loquendo de absente in procuratorem constituendo, requiruntur hæc duo nempe quod « ut certus sit, qui datus intelligitur, et is ratum habuerit; » atque amplius declarat Glossa ibidem. Accedit ratio; quia incertitudo vitiat dispositionem, ut inquit card. Tuschus litt. I, conclus. 65, n. 1, id probans in l. *Duo sunt Titii*, ff. de *Testamentar. tutel.* ubi incertitudo illius personæ, quæ

datur seu constituitur tutor, vitiat dationem. Concordat textus in l. *Tutor incertus*, ff. eod. ubi pariter dictum, quod « Tutor incertus testamento dari non potest; » juncta Glossa ibid. recte hoc extendente ad procuratorem constitutum, ad hæredem institutum et alias hujusmodi personas; prout etiam executor cuiuspiam concessus, debet esse certus, c. *Tibi qui*, 12, de *Rescript.* in 6, ibi: « Certo executore concessio. »

58. *Valet tamen potestas data procuratori de substituendo alio, nulla certa persona expressa.* — Resp. I. Quamvis procurator debeat constitui certus, ut dictum; nihilominus potestas data procuratori de substituendo alio valet, licet sit incertus is, quem vult substituere. Ita Glossa magna in cit. cap. II, h. t. in 6, ad finem. Idemque patet ex d. cap. I, § *Licet*, ubi approbatur potestas cuiuspiam concessa substituendi alium procuratorem, « etiam certa non expressa persona. » Ratio est, quia quamvis incertitudo omnimodo vitiet dispositionem; secus tamen est, quando potest reduci ad certitudinem. Card. Tuschus cit. concl. 65, n. 2, post Fulgosium, consil. 183. Atqui hoc fit in proposito, dum procurator habens dictam potestatem substituendi alium, substituit certam personam, v. g. Titium; ergo. Idem patet in simili: quia potest constitui procurator ad eligendum, nulla certa persona sibi expressa, quam eligere debeat, c. *Si qui justo*, 46, § *Porro de Election.* in 6, haud obstante, quod electus debeat esse certus, cap. II, eod. in 6.

§ III.

DE CAUSIS, IN QUIBUS POTEST INTERVENIRE PROCURATOR.

59. *Procurator potest intervenire in omnibus causis, ubi hoc non reperitur prohibitum.* — Quæritur I. In quibus causis possit, vel non possit intervenire procurator? Resp. I. Generaliter loquendo in omnibus negotiis, et causis, potest intervenire procurator, in quibus id non reperitur expresse prohibitum. Ita Valensis h. t. § 5, num. 4; Sannig. eod. cap. v, n. 1, et alii. Ratio est, quia edictum de procuratoribus est prohibitorium, l. *Mutus*, 43, ff. h. t. ac proinde quidquid non invenitur prohibitum nominatim, debet intelligi concessum, c. *Cum apud sedem*, 23, de *Sponsalib.* Verum descendendo ad magis specialia.

61. *Specialiter in causis civilibus, tum tem-*